

ANTONIUS FUGGERVS AVGUSTANVS.



**A**ntonius Fuggerus ex illustri familia Fuggerorum Augustæ Vindelicorum natus, & in omni genere uirtutum educatus est. Is à pueris cum Raymundo fratre operam literis dedit, & uterque in ijs mediocrem sibi cognitionem acquisiuit. Erant etiam multis heroicis uirtutibus conspicui, & Imperatori Carolo gratissimi. Itaque factum ut barones in Vueyslenhorn ab eo creati, & multis honestis officijs decorati fuerint. Hi sua industria paternas opes conseruarunt, & auxerunt plurimum. Eas uero in optimos quoque usus adhibuerunt, atque in primis literarum studia promouere statuerunt. Itaque nulla ferè per Europam Academia extitit, in qua non ipsorum alumni diligenter operam literis impenderunt, & in viros maximos euaserunt. Vnde eorum domus, doctis uiris undique confluentibus, & suas lucubrationes offerentibus, semper frequenta fuit, dum hos suos Mœcenates agnoscerent, et omni posteritati commendatos proponerent.